UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D. Ill[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs. Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos Cardinales &c. Libri VI

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Epistola III. Ill[ustrissi]mo Et Rev[erendissi]mo D. Bernhardino Paulino Si Di Ni Clementis VIII. Pontif. Max. Datario Ivstvs Baronivs Veteracastrensis S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70614

Visual Library

Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum
Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Accipe igitur per Deum *Sanct*[me] *Pontifex* hoc qualecunque grati animi pignus: atque ita quæſo accipe, vt te ſementis tuæ manipulum ferre putes. Si vberiora deſideras, ſanè debere me fateor, at poſſe nego. vbi potero, metes & tu, [1] *Dijſque* interea *non ſolum thure, ſed & mola ſalſa litari cogitabis.* Vale. Mogunt. Nonis Februarij. M.DCV.

[1] *Pl. in pr. af. Natu. hiſt.*

EPISTOLA III.

ILL[mo] ET REV[mo] D. BERNHARdino Paulino S[i] D[i] N[i] CLEMENTIS VIII. Pontif. Max. Datario

IVSTVS BARONIVS VETERAcaſtrenſis S.

EN tibi tandem, *Ill*[me] *& Reu*[me] *Dne*, pro tua illa inſigni in me beneficentia & comitate dudum debitum deſtinatumque ἀντίδωρον. Quale inquis? Litterarium tenue, rude ac minus perpolitum, quam

vel voluntas mea, vel dignitas tua longè maxima poſtulabat. Sed quia non eorum te numero accenſeo, qui ponderibus rerum, non voluntate donantium munera metiuntur, contra omnem [a] diuinæ & [b] humanæ Philoſophiæ rationem: acquieſces ſpero τοῖσ παροῦσιν, excuſabisque ipſe tempus, ocaſionem, locum, quæ ſingula vides vel nolentem me in haſce auguſtias coëgiſſe. De argumento libelli noli laborare. Appendicula eſt *Præſcriptionum* mearum dudum editarum: quas quia admordere conatus erat homo *Anglicanus*, iure hanc à me defenſiunculam extorſit. De loco purgabit me tibi [c] *Ageſilaus*, purgabit [d] *Ariſtippus*, purgabit denique [e] *Damonidas*, qui omnes vltimo quondam loco conſtituti, ſusq; deq; id habuerunt, animoſéque *non locum viris, ſed viros loco cõciliare dignitatem* reſponderunt. Quod ſi tu quoque exiſtimabis, *Ill*^{me} *&* *Reu*^{me} *D*^{ne} nil ſpero ſupererit, quamobrem meum tibi munuſculum ſordere debeat. Vale, & ſi fas precari, hanc vnam mihi gratiam habe, vt gratũ habeas, quod gratiſſimo tibi animo dicatum iui. Vale iterum. Mogunt. 4. Non. Martij. M. DCV.

a Luc. 21. 3.
b Ariſt. lib. 4. Ethic. ca. 8.
c Plutarch. in Lacon.
d Laert. lib. 2. cap. 8.
e Plutarch. ι Lacon.

LIBRI SEXTI EPISTOLARVM FINIS.

BE-